

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livi Ab urbe condita libri

Buch VIII - X

Livius, Titus

Berlin, 1890

Periochen

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2376](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2376)

T. LIVI

AB VRBE CONDITA LIBRI VIII PERIOCHA.

T. Veturius Sp. Postumius consules apud furcas Caudinas deducto in locum artum exercitu, cum spes nulla esset evadendi, foedere cum Samnitibus facto et sescentis equitibus Romanis obsidibus datis ita exercitum abduxerunt, ut omnes sub iugum mitterentur; iidemque auctore Sp. Postumio consule, qui in senatu suaserat, ut eorum deditione, quorum culpa tam deforme foedus ictum erat, publica fides liberaretur, cum duobus tribunis plebis et omnibus, qui foedus sponderant, dediti Samnitibus non sunt recepti. nec multo post fuis a Papirio Cursore Samnitibus et sub iugum missis receptisque sescentis equitibus Romanis, qui obsides dati erant, pudor flagitii prioris abolitus est. tribus duae adiectae sunt, Ofentina et Falerna. Suessa et Pontiae coloniae deductae sunt. Ap. Claudius censor aquam Claudiam perduxit; viam stravit, quae Appia vocata est; libertinorum filios in senatum legit; ideoque, quoniam is ordo indignis inquinatus videbatur, sequentis anni consules senatum observaverunt, quem ad modum ante proximos censores fuerat. res praeterea contra Apulos et Etruscos et Umbros et Marsos et Paelignos et Aequos et Samnites, quibus foedus restitutum est, prospere gestas continet. Cn. Flavius scriba, libertino patre natus, aedilis curulis fuit, per forensem factionem creatus, quae, cum comitia et campum turbaret et in his propter nimias vires dominaretur, a Q. Fabio censore in quatuor tribus redacta est, quas urbanas appellavit; eaque res Fabio Maximo nomen dedit. in hoc libro mentionem habet Alexandri, qui temporibus his fuit, et aestimatis populi Romani viribus, quae tunc erant, colligit, si Alexander in Italiam traiecisset, non tam facilem ei victoriam de populo Romano fore, quam de iis gentibus, quas ad orientem imperio suo subiecerat.

T. LIVI

AB VRBE CONDITA LIBRI X PERIOCHA.

Coloniae deductae sunt Sora et Alba et Carseoli. Marsi in deditionem accepti sunt. collegium augurum ampliatum est, ut essent novem, cum antea quaterni fuissent. lex de provocatione ad populum a M. Valerio consule tertio tunc lata est. duae tribus adiectae sunt, Aniensis et Terentina. Samnitibus bellum indictum est et adversus eos saepe prospere pugnatum est. cum adversus Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos P. Decio et Q. Fabio ducibus pugnaretur et Romanus exercitus in magno discrimine

mine esset, P. Decius, secutus patris exemplum, devovit se pro exercitu et morte sua victoriam eius pugnae populo Romano dedit. Papirius Cur-
 10 sor Samnitium exercitum, qui iure iurando obstrictus, quo maiore constantia virtutis pugnaret, in aciem descenderat, fudit. census actus est, lustrum conditum; censa sunt civium capita milia ducenta septuaginta duo et trecenta viginti.

Abweichungen vom Texte der Jahnschen Ausgabe
 (Lipsiae MDCCCLIII).

VIII 14. *senatum*] Mg.; *in senatum* NP *in senatu* ed. pr. (Wfsb.), *in senatu* (<legendo> vulg. (Jahn). — 16. *et* hinzugefügt nach ed. pr. — Z. 15—25 sind unecht nach Wfsb.; Z. 18—25 sind unecht nach Zange-
 meister. — Z. 24 *iis*] *his* NP (Jahn).

X 2. *novem*] Mg. vermutet: *novem*, (<item pontificum, ut essent octo>). — 3. *M. Valerio*] *M.*; *murena* NP (Jahn); vgl. 10, 9, 3. — 7. *magno*] NP; *maximo* vulg. (Jahn). — 8. *patris exemplum*] NP; *exemplum patris* vulg. (Jahn). — 12. vgl. 10, 47, 2.